

De scriptis Joannis apostoli disputatio.

§. 1.

Inter omnes constat, quum animus humanus neque velit in omni genere veri, quod latissime pateat, elaborare neque possit, cuilibet homini esse aliquas pulchri vel veri species, quas potissimum amplexetur et tractet. Quod quum in omnium populorum doctoribus, poetis, oratoribus, rerum gestarum scriptoribus inveniamus, dubitari non potest, quin a librorum divinorum scriptoribus non sit alienum. A s. Petro legimus ter ¹⁾ commemorari, Christum ad inferos descendisse, quum id ab aliis apostolis et Christi discipulis paene ²⁾ sciamus praetermissum. Unde quum nostro jure efficere videamur, hominibus quaerentibus, num et apocalypsis et quartum evangelium tresque epistolae a s. Joanne apostolo, ad quem referuntur, sint conscripta, id esse perscrutandum, num quum verbis et oratione saepe discrepent, sententiis nihilo secius congruant, nunc ad hunc locum paucis tractandum transibimus. Sed fortasse quispiam dixerit: Quid? Nonne coelesti quodam mentis afflatu instinctuque locuti sunt sancti scriptores? Quare quomodo e verbis et sententiis eorum, quis ea scripserit, poteris colligere! At equidem non dubito, quin oratio ab initio sit non solum humanarum virium, sed divini quoque adjumenti munerisque, quum ratio et oratio sine praeceptore rationis particeps moveri excolique nunquam potuerint; tamen vocabulorum, cur quaeque res sit ita appellata, causas indagare in eaque indagatione secundum naturam progredi audeo, quum mihi persuasum sit, eum, qui naturae leges constituerit, secundum eas primis hominibus orationis bonum impertivisse. Similiter quoque modo deus sanctos apostolos ab omni errore servabat, sive viva voce, sive literis de religione christiana praecipie-

¹⁾ Act. apost. 2, 31; 1. Petr. 5, 19. 20; 4, 6.

²⁾ V. Luc. 25, 43 cl. 24, 7 et 24 31.

bant, — servatos autem eos certissime credimus — iis eos non fuisse a deo privatos, quae natura eorum essent propria, persuasum habemus. Quamobrem facile intelligitur, alius animo alia verba praeceptaque Christi magis observata esse. Sed quum Joannes res describens, quas deus ei videndas obtulit, ipsa verba divina audiverit eique minetur ¹⁾, qui illi libro quidpiam addiderit aut subtraxerit, equidem dicere non audeo, omnem libri rationem, verborum compositionem, orationis ornatum apostolo deberi salva tamen re et sententia et doctrina; sed quum evangelium a Joanne postea scriptum esse credam, quam quae vidit a deo missa, his fieri potuisse, ut inter multa, quae apud dominum commorans conspexisset atque audivisset, nonnullorum verborum atque rerum memoria ejus animo magis observaretur, quis est, qui velit infitiri? Tamen quocumque tempore res christianas vidit vel audivit, ad eundem eae pertinent dominum, Jesum Christum. Is autem ap. 13, 8 dicitur agnus ab origine mundi occisus; ita enim hunc locum, si orationis contextum verborumque conformationem respexerimus, explicandum eamque sententiam ei subjectam esse putamus, ut Christum ab initio mundi rebus peccato perversis salutem allaturum fuisse eamque revera attulisse et omnibus ad unum hominibus, qui unquam vixerint, consuluisse nuntietur. Idem fere docet s. Joannes evangelii c. 12, 41; nam quum Isaiam Christi gloriam vidisse dicat, ea, quae apud sanctum prophetam c. 6 leguntur, ad Christum ab eo esse relata apertum est. Nec est, quod dubitemus, quin ex scriptoris sententia omnia, quae deus ante Christum natum Judaeorum aliarumque gentium saluti consulens fecerit, Christo sint adscribenda. ²⁾ Deinde ap. c. 12, 9 et c. 20, 2 quum diabolus nominetur serpens antiquus, sine dubio ille serpens significatur, qui primos homines sollicitavit et corrupit; evangelii vero c. 8, 44 quum idem homicida ab initio et mendax vocetur, certe de iis fallaciis agitur, quibus Eva et Adamus ad impietatem adducti mortem sibi et posteris suis contraxerunt. Tum ap. 20, 2 Satanae vincula in mille annos i. e. in longum temporis spatium injecta esse legimus, quibus vires ejus sint deminutae; deminutionem enim, non deletionem virium ejus perniciosarum illa imagine inclusam esse scimus. ³⁾ Eodem fere modo ev. Joan. c. 12, 31; 14, 30; 16, 11; ejus 1 ep. c. 3, 8 diabolum a Christo oppressum esse nuntiatum est. Praeterea ap. 2, 9; 3, 9 de hominibus agitur, qui se Judaeos esse simulent ⁴⁾, tamen animis et mori-

¹⁾ 1, 5. 19; 2, 1; 22, 13. 19. Cf. Mos. 4, 2.

²⁾ Apud s. Paulum similia invenies, ut 1 Cor. 10, 9, ubi a Judaeis in locis desertis Christum tentatum esse legitur, ut 10, 4, ubi petra nominatur propter aquam iis praebitam.

³⁾ Similia ep. ad Coloss. script. 2, 15; 1, 15; Luc. ev. 11, 22 invenies.

⁴⁾ Cf. 2, 2. 21.

bus Judaei non sint, sed Satanae serviant; ev. 4^{ti} 8, 39 — 44 Jesus Judaeis dicit, revera eos ab Abrahami stirpe non esse ortos, quippe qui sanctum patriarcham non imitentur, sed a diabolo iis genus esse ducendum. Contra ea Christus ev. 14, 23 eos, a quibus diligatur, a patre dicit amari seque cum patre ad eos venturum et apud ipsos mansurum esse, et iterum ap. 3, 20 pollicetur, se ad eos venturum et cum iis coenaturum esse, qui verba sua audiant et sibi petenti aditum patefaciant. Denique qui filio se dedant, eos patri quoque sese dare saepissime docemur, ut 2 ep. 9; 1 ep. 2, 23. 22; 4, 15; 5, 4. 5; ev. 3, 36. Accedit, quod et evang. c. 19, 37 Zachariae quoddam vaticinium ipsis fere prophetae verbis commemoratur et ap. 1, 7 manifesto eadem paene verba in eundem fere modum reperiuntur; quae vero sunt 1 ep. Joan. 1, 7 et ap. 1, 5; 5, 9 quibusque docemur, sanguine Jesu Christi peccata nostra expiari, verbis paululum discrepant, re idem declarant. Deinde qui res visas, quas deus sibi miserit, memoriae tradidit, nihil antiquius habere videtur, quam ut nobis confirmet, vera esse, quae viderit et scribat, eosque beatos futuros, qui ea observent et amplectantur; ejusmodi enim sunt, quae leguntur 1, 1. 2. 3; 22, 6. 7; 19, 10; 1, 19 — 20; 2, 7. 12. 18. 29; 3, 6. 13. 22; evangelii autem, de quo agitur, plurimis locis scriptor non solum se vidisse, quae dicat et recta ea esse testatur, sed etiam alios Christo testimonium dedisse neque quemquam ejus verba negligere debere perhibet; huc enim referenda sunt, quae legimus 1, 7. 8. 15. 19 — 27. 29 — 34. 36; 3, 27 — 36; — 1, 14. 16. 18; 19, 35; 21, 24. Cf. 3 ep. 12. Praecipue tamen se vidisse quae scribat, affirmat eique rei tantam vim tribuere videtur, ut se ea affirmatione fere insigniat. Vid. et ev. 19, 35 et 1 ep. 1, 1. 3 et ap. 1, 2. Deinde tam in 4^{to} ev. quam in ap. imprimis docere solet, Christum, quae sint futura, tectius quoque interdum praenuntiasse et signis multa quasi praemonstrari. Vide sis ev. 2, 21; 12, 33; 21, 19; 3, 14; 19, 36; ap. 1, 1; 22, 6 et totum fere librum. Quocirca saepe evenit, ut quum rebus exterioribus interiores, humanis divinas, sub sensus cadentibus non subjectas sub eos docere et dilucidiores reddere dominus studeat, multos verba ejus non recte intellexisse narretur, ut Judaeos ev. 2, 20; 6, 52; 7, 35; 8, 22. 33. 41. 52. 57; 9, 40; ut mulierem Samaritidem 4, 11. 15; ut apostolos 4, 33; 11, 12; 14, 5. 22. Mira quaedam subtilitas, varietas novaque, ut ita dicam, asperitas ea re elocutioni conciliatur. Sed hanc eandem inopinatam eloquendi rationem, quod quidem mutato toto dicendi genere e re esse possit, in apoc. quoque invenies, ut 5, 4. 5, ubi Joannes a nemine ratus posse librum quendam evolvi se falli videt; ut 19, 10 et 22, 9, ubi se deum adoraturum esse arbitratus ab angelo erroris convincitur; ut 7, 13 — 17, ubi Joannem unus e senibus interrogat, ut eum doceat; ut 17, 6. 7, ubi

sanctus vates mulieris ebrietatem mirans ab angelo mirari vetatur; ut 7, 9—14, ubi vestes sanguine albescere mirandum in modum dicitur; ut 13, 4 ubi Joannes animali plagam mortiferam inflictam vulnusque statim sanatum videt, vel 17, 8, ubi animal fuisse et non esse et ex interitu rediturum esse ei nuntiatur. — Sed in singulis quibusdam verbis quoque sententiarum gravitas inest, ut in vocibus vitae, mortis, iudicii, hominum a morte ad vitam reditus, quales variis locis quarti evangelii explicantur. Nemini dubium esse potest, quin ev. 5, 25 et 28 de duplici in vitam reditione agatur, quippe quum et eo ipso tempore, quo loquitur, Christus homines mortui sibi obsecuturi fore dicat, ut vitam assequantur, et futuro omnes ad unum homines, qui in sepulchris sint, inde revocatum iri affirmet. Illo loco Christus doctrina, exemplo, gratiae dono se animos aequalium non invitos ad pietatem ac sanctitatem i. e. ad vitam, quae, ut vita nominetur, digna sit, excitaturum esse promittit, hoc loco corpora humana post mortem ad vitam reditura esse docet; tamen alteram partem hominum corporibus ad animos iterum adjunctis beatam fore, alteram in iudicium adductum iri v. 29 addit, et quum illi soli vita memoratu digna ut fruantur futurum sit, c. 6, 39. 40. 44. 54 de sola bonorum in vitam revocatione loquitur. De quibus rebus quid Joanni deus misit videntum? Ap. 20, 4 fideles et usque ad supplicium in officio perstantes rei christianae propugnatores statim post mortem fore ut ad vitam redeant beatissimam declaratur et haec in vitam revocatio ut ab altera segregetur, quae v. 13 ante supremum iudicium futura significatur, *prima* nominatur. Ne quis autem pernimum interesse inter J. ev. 5, 25 et ap. 20, 4 putet, quae sit illa vita quaerendum est. Sed quum Christus J. ev. 5, 24; 17, 3 doceat, ei qui sibi patrique suo fidem habeat, vitam aeternam jam esse eumque a morte ad vitam jam transiisse, et 6, 54 affirmet hominem sacrosancto corpore suo religiose accepto vitam aeternam tum habere; quum autem se ipsum 11, 25 vitam nominet et tam se quam patrem vitam in se habere 5, 26 profiteatur; quum 5, 29 de vita piis post mortem futura loquatur et 1 ep. J. 2, 25 de vita agatur, quae bonis sit promissa: facile intelligitur, eam vitam, quae est horum librorum descriptio, significari, quae sit omnibus omnino numeris absoluta et perfectissima quamque homines ante mortem inchoare quaque aliquando frui possint. Simili modo ap. 3, 1—3; 1, 18; 4, 10; 10, 6; 15, 7; 2, 11 vitam piorum, vitam, quae est in deo perfecta et omnibus suis numeris expleta, et vitam post mortem beatam invenimus descriptam. At quis ad vitam perveniet? Qui iudicii periculis perfunctus est. Iudicium in terminis rerum harum humanarum futurum esse, tum, quum mortui ad vitam redeant, J. ev. 12, 48; 5, 29 docemur; sed non minus 3, 18. 19; 5, 24; 12, 31 nobis declaratur, jam in hac no-

stra vita et maleficiorum conscientia et spiritus sancti benigna poena et Christi potestate de malis fieri iudicium hominibus et malis angelis patefaciendum. Ut vita, ita iudicium hoc tempore inchoatum futuro ad finem perducetur. Ap. autem c. 20, 12. 13 de singulorum et universorum hominum iudicio in harum rerum terminis agitur, de hominibus vero ante mortem saepissime legimus iudicari, ut 2, 5. 16. 20. 22. 23, nihilque interst, de conscientiae iudicio nominatim non fieri mentionem, quum ea, quae Joannes Christo auctore episcopis nuntiet, sine dubio quemvis delictorum conscientia perculerint; nam ille interior et exterior iudex easdem partes agit. Extremum est, ut de morte disputemus. Mortuus autem ap. 3, 1 is nominatur, qui a deo, a quo omnis vitae principium ducitur, descivit¹⁾; et 20, 6. 14; 21, 8 eos secunda morte multari scriptum est, qui praecipites in sceleratorum sedem ac regionem agantur. Eodem modo qui a deo defecerit, ev. 5, 24; 1 J. ep. 3, 14 in morte versari dicitur²⁾; secunda³⁾ vero mors satis expresse significatur, quum ev. 5, 29 nisi alteram partem eorum, qui e sepulchris sint redituri, vitam consecuturam esse non legamus. Aliis ap. locis, qui sunt 21, 6 et 22, 17 aquam quandam fontem vitae aeternae dici perspicimus, neque dubitari potest, quin illa aqua gratia et doctrina a Christo profecta intelligenda sit, quam sitire cujusque hominis christiani est, eandem vero rem iisdem fere verbis ev. 7, 37. 38; 4, 10. 14 exprimi, non est, quod accuratius perscribamus. Hoc loco illud quoque adjungam dei filium esse aeternum plane atque aperte et in ev. 4 et in apoc. nuntiari. In principio enim, i. e. quum mundus crearetur, cum jam fuisse, et esse cum ante Abrahamum, gloria cum apud patrem fuisse ornatum et a patre dilectum ante mundum creatum ev. 1, 1; 17, 5. 24; 8, 58 docemur. Quae quid sibi volunt, nisi dei filium fuisse, imo vero esse ante ultimos temporis terminos, quos cogitatione possumus comprehendere, sive ab aeternitate, cujus vocis propria ac principali significatione hoc loco utor! Ap. autem 1, 8; 21, 6; 22, 13 tam Christus, quam aeternus pater principium et finis nominantur. Deinde ut ev. 1, 3 per filium dei omnia facta esse, sic ap. 3, 14 ab eo ut principio omnia profecta esse scriptum reperimus, ita enim hic locus, quum Christus socius et particeps imperii divini ea epistola significetur, intelligendus est. Neque minus se esse veritatem et verum

¹⁾ Cf. Col. 2, 13; Eph. 2, 1. 5; 3, 14; Rom. 7, 24; 6, 13; 1 Tim. 5, 6; Luc. 15, 24.

²⁾ De 1 Joan. 3, 16 quid sentiam, vide quae dixi p. 97 libr. qui inscr.: „De peccati natura ejusque in mortiferum et non mortiferum dividendi ratione,“ quique prodiit Coesfeldiae 1847.

³⁾ Lact. inst. div. 2, 12: „Cujus (i. e. mortis) non ea vis est, ut injustas animas extinguat omnino, sed ut puniat in aeternum. Eam poenam secundam mortem nominamus, quae est et ipsa perpetua, sicut et immortalitas.“ Aug. c. d. 13, 2: „Mors animae fit, quum eam deserit deus.“

veri testem Christus ap. 3, 14, quam ev. 14, 6 et 18, 37 profitetur. Alia etiam verba, in quibus tota inest sententia et 4^{to} evangelio et apocalypsi sunt communia, ut „agnus“, qua voce ¹⁾ et ev. 1, 29. 36 et ap. 5, 12; 7, 14; 22, 14 aliisque locis ejusdem libri Christus summa animi lenitate et innocentia sanguinem pro hominibus effundens significatur; ut „Verbum“ ²⁾ quo vocabulo et ev. 1, 1 et ap. 19, 11—13 filius dei unigenitus ornatur; ut „cibus“ quidam, quem et ap. 2, 17 et ev. 6, 32. 50 Christus suis se daturum esse promittit. — Praeter Paulum porro 2 Thess. 2, 3—12 solus Joannes de Antichristo loquitur idque 1 ep. 2, 18; 2 ep. 7. Hoc loco personam quandam Christo adversariam ante reditum ejus venturam esse omnibus notum sumit ejusque similes multos jam corruptores quasi praenuntios adesse queritur. Sed ap. 20, 7—10 satanae ea attributa sunt, quae eum per Antichristum effecturum esse Joannes videt, tantumque abest, ut hi duo loci pugnent inter se, ut quum utroque magnum periculum discrimenque hominum pietati morumque integritati proxime terminos rerum humanarum allatum iri affirmetur, ejusdem auctoris vestigia certissime videantur. Accedit, quod a plerisque divinarum literarum explanatoribus et enarratoribus posteriore loco Antichristi facinora satanae adjutore commissa describi existimantur. Proprium est 4^{ti} evangelii atque Joannis epistolarum, et Judaeos aliosque, qui religionem christianam aversentur et Christianos, qui falsas opiniones pervulgent, impietatis, obstinationisque acerrimo studio coarguere et eorum corruptelam cavendam monere. Quam rem facile concedet, qui evangelii 3, 11. 18. 32; 6, 26; 12, 37; 1 ep. 2, 18. 26; 3, 7; 4, 1; 5, 21; 2 ep. 7—11; 3 ep. 9—12 perlegerit. Ap. autem 2, 6. 9. 13—15. 20—24; 3, 9 aliisque ejusdem libri locis profecto idem religionem christianam tuendi omnesque ut caveant falsam doctrinam monendi studium perspicias. In eo quoque apoc. et epist. 1^{mae} cernitur cognatio, quod in utraque redintegrandae memoriae Christi reditus sive secundi adventus mox futuri homines ut doctrinae et morum integritati studeant admonentur. Quo spectant 1 ep. 2, 18—28 et ap. 1, 3; 2, 5. 16; 3, 2; 16, 15; 22, 7. 12. Sunt, qui res in apocalypsi visas ad solum regnum Judaicum pertinere religionemque, quae in ea contineatur, nihil esse nisi religionem Judaicam veram et sinceram, quodam modo augustiorem dicant. Quod quam sit falsum si nihil praepjudicati afferens rem dispexeris, facile dijudicabis. Ubi enim

¹⁾ Praeter Joannem solus Petrus 1 ep. 1, 19 inter omnes novi test. scriptores eadem voce utitur, nam act. 8, 32 ad vetus t. pertinet.

²⁾ Vix intelligo, quid sibi velit Seppius, si t. 7, p. 237 sanctos Paulum et Jacobum jam ante Joannem de Verbo, qui sit filius dei, scripsisse dicit. Hoc enim dei filii nomen neque in 1 Cor. 14, 36; 1 Thess. 2, 13; Luc. 1, 2 neque in Jac. 1, 18. 21; 5, 15 reperimus.

victimas aut hostias deo cadere christiani jubentur? Precationes autem fieri et deo tanquam offerri 8, 3. 4 legimus. Neque video eos, qui Judaei fuerint, in ap. priores partes habere. Quis est enim, qui vatem 10, 11 „gentibus et populis et linguis et regibus multis“ futura praedicere jussum ad solos Judaeos mandata habere putet? Aut quis angelum „evangelium aeternum“ 14, 6 ad „omnem gentem et tribum et linguam ¹⁾ et populum“ afferentem nisi ad Judaeos nusquam advenisse concedat! Neque persuadere mihi possum, beatos illos animos, quos 7, 9 vidit sanctus vates, „ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis,“ tantum ad Judaeos pertinere. Cf. 5, 9. Negari etiam debet, septem illas apocalypsis epistolas ad solos eos, qui fusi per gentes Graecas aliasque et dispersi relictis sacris Judaicis cultum christianum susceperint, esse datas. Ephesi multos, qui deos fictos coluerint, ad religionem nostram primis post Christum natum temporibus transiisse, ex act. apost. 19, 10. 17. 26 comperimus. Praeterea ipsum Joannem ex Patmo Ephesum reversum fines Graecorum finitimorum perlustrasse resque christianas constituisse Clem. Alex. apud Eusebium h. e. 3, 23 narrat. Inter eos quoque, qui propter religionis christianae insectationem castigati sint, deorum fictorum cultores fuisse, ap. 9, 20. 21 legimus. ²⁾ Vere igitur tam apocalypsi quam 4^{to} evangelio religionem christianam ad unum omnibus hominibus amplexandam esse docemur. Ceteroquin non infitior, Judaeorum religionem christianae esse non solum praenuntiam, sed etiam quodam modo normam. Paulus enim apostolus ad ipsos Romanos scribit 11, 16 — 21 et 15, 8. 9, qui deorum commenticiorum cultum reliquerint, stirpi Judaicae tanquam surculos quasi inferri, et plurimis locis ut Rom. 4, 3; 10, 11. 19. 20; 11, 3. 8. 9. 26; c. 9. 10. 11; c. 6 et 1 Cor. 15 Judaeorum doctrinam appellat vel defendit. Idem in 4^{to} evang. inveneris ut 1, 46; 5, 39. 46; 6, 45; 7, 42; 8, 56; 12, 41; 17, 12; 19, 24. 28. 37. Falluntur, qui 5, 34. 35 veteris foederis auctoritatem minui credant. Non magis verum est, apocalypsi hominem institui doctrina et religione sub sensus subjecta, evangelio 4^{to} ea, quae animi virtutibus contineatur. Illius enim doctrina audacibus translationibus imaginibusque expressa cum evangelii primaeque epistolae congruit. De hominibus Christi sanguine redemptis cf. ap. 1, 5; 5, 9; 7, 14; 12, 11 cum 1 ep. 1, 7; 2, 2; ev. 1, 29; de filio dei, vero deo vide ap. 19, 13. 16; 17, 14; 12, 5; 1, 17. 18. 11; 22, 13 — 16; 2, 8; 3, 14; 2, 19 (18). 26; 1, 5; 2, 24 (23); 5, 13, ubi Verbum dei, rex regum, dominus dominorum, aeternus victor mortis, initium et finis, prin-

¹⁾ Cf. act. 9, 15.

²⁾ Quae Zülligius et Hartwigius ut nobis probent, apocalypsim ad solos Judaeos spectare alia attulerunt argumenta, ea jam refellimus in commentariis, qui inser. *Litterarischer Anzeiger zum Katholiken* Nro. 10 a. 1844.

cipium rerum creatarum, filius dei, dominus gentilium, primogenitus mortuorum et qui penitus animos hominum perspiciat et uti pater, juxta quem sedet in solio, aeterna gloria dignus sit describitur. Id velim animadvertas, compluribus illorum verborum aliis locis deum patrem ornari. Cf. ap. 1, 8; Jerem. 17, 10; psal. 7, 10. Dubitari non potest, quin filio dei summum judicium in ap. adscribatur, quippe quum 2, 24 (23) quemvis pro operibus praemio aut poena se affecturum esse dicat, quumque de eo, qui de hominibus in vitam revocatis judicaturus sit 20, 13 idem dicatur ac vitae liber ei assignetur, qui de 13, 8; 3, 5; 21, 27 sententia Christi est. Evangelii 4^{ti} 5, 22 pari modo patrem de nemine judicare, sed omne judicium sibi tradidisse Christus dicit. Deinde episcopo, cui Christus mandata sua Ephesum nuntiarum iussit, exprobrat, quod a primo amore et studio rerum christianarum defecerit; odisse tamen eum falsos apostolos ac Nicolai diaconi falsos sectatores, quos adulterio et effusis in omni intemperantia libidinibus deditos fuisse traditum est.¹⁾ Quam diligenter in evangelio 4^{to} iis, quae de mulieribus adultera et Samaritana narrata sint, nuptiarum sanctimonia sit defensa, animum velim attendas. Quum vero 2, 3. 4. 5. 10. 14. 20. 23. 26; 3, 1. 2. 3. 4. 15; 21, 27 etc. et episcopus Ephesius et alii admoneantur, ut animos fide, fiducia, caritate, patientia, operibus bonis, scelerum fuga excolant, ut deo vivant, ne in amore divino se remittant, ut nihil vulgare in coelum introiturum esse meminerint quumque omnia coram deo exactissimo judicio examinari nuntietur, quid sibi velint nescio, qui virtutes sub sensus subjectas magis, quam animi bona virtutesque in apoc. praedicari dicant. Noli enim falli dicendi genere imaginibus distincto! Contendi etiam potest, in evangelio 4^{to} magis, quam in aliis tribus orationem esse ornatam atque audacem. Cf. quae ev. 2, 19; 7, 33. 34; 8, 21; 10, 11. 17. 18; 12, 23. 24. 32; 14, 2. 3. 19. 28; 16, 16. 19 de Christi morte et in coelum reditu dicuntur cum iis, quae de eadem re in aliis evangeliiis traduntur. Quamobrem quae de regno mille annorum, quod Christus cum suis ante summum omnium hominum judicium velit constituere dicuntur, e tribus annis et dimidio judicanda sunt; hi enim breve tempus²⁾ significant, quo religiones a Christi doctrina alienae christiana superiores sint futurae; illi longum

¹⁾ Cl. Alex. str. ed. Pott. 2, 20; 3, 4 Nicolaum ipsum alterius conjugis consuetudine nunquam usum esse et ejus filias virgines mansisse, filium autem intemperantiam cavisse compertum habet. Quum Iren. 1, 26; 3, 11, Tertull. de praescr. 46 et 33, Aug. de haer. 5, Cassian. coll. 25, 46; Epiph. haer. 25; Philostr. 33 Theodoretusque praeter libidines victimarumque carnes comedendi usum errores gnosticorum similes Nicolaitis tribuant, haud scio, cur opinari velint, Nicolaitarum nomen a Balaamo ductum propter scelerum similitudinem esse inventum, quum praesertim ex iis, quae Cl. Alex. de Nicolao narrat, coniecere possimus, facile fieri potuisse, ut verba ejus in aliam partem acciperentur, ac dicta essent. V. Eus. h. e. 5, 29.

²⁾ Cf. 6, 11; 11, 2. 3; 12, 6. 12. 14.

tempus, quo regnum Christi pacem sit habiturum, dum sancti beata gloria fruuntur in coelis. De regno mille annorum in terris constituendo nil in apoc. invenimus. ¹⁾ Qui pro re christiana mortem obierunt, vivent mille annos cum Christo et ita vivent praec iis, qui diis fictis scelerique se dederint, ut hi mortui dici queant, i. e. vita fruuntur beata. Post illos mille demum annos postque omnium corporum revocationem in vitam novum coelum et novam terram in eaque Hierosolyma nova fore comperimus, quibus verbis aeternam beatitudinem significari scimus. Non magis intelligo, quid sibi velit qui in ap. deum iratum describi dicit. Nonne filium suum ut agnum piaculum nostrorum peccatorum morti crudelissimae dedisse pariter atque apud Paulum et 4^{to} evangelii scriptorem in apocalypsi dicitur? Num majus documentum amoris ejus excogitari fingique potest? Nonne 2, 10. 11 bonos consolatur seque eos corona vitae donaturum esse dicit? Nonne in extremo hujus libri capite sponsi sponsaeque more dulcissima et suavissima verba hominibus vere christianis a deo tanquam insusurrantur? At dixeris fortasse, 6, 10 eos, qui sanguinem pro Christo fuderint, orare deum, ut ulciscatur necem suam. Sed noli oblivisci, qui sint inimici sanctis, eosdem esse inimicos deo, sanctosque nihil petere, nisi ut justitia dei fiat manifesta, ut qui peccaverint, poenas divinas metuant, ut ad bonam frugem se recipiant. Sed operibus homini opus esse ad salutem aeternam dicunt doceri in apocalypsi 2, 2. 5. 10. 20. 26; 3, 1. 8. 15. Verum est, sed fidem, quae bonis operibus cernatur, veram demum et sinceram fidem esse, non solum Jacobus, sed etiam Paulus docet Gal. 5, 6; 1 Cor. 13, 2 al. et quod nobis majus est, idem in 4^{to} evangelio et 1 ep. Joannis confirmatur. Qui Christi praeceptis non obsequatur, ab eo apostolus 1 ep. 2, 4. 5 ait Christum non cognosci, et a Judaeis deum ignorari ev. 8, 55. 39 docet, quod ejus mandata non exsequantur; item 15, 8 — 17 dicit discipulos suos eo debere agnosci, quod ament inter se et divina praecepta observent. Quibus verbis quid distinctius declaratur, quam cognitionem fidemque tantum valere, quantum operibus cernatur! Leges de discernendis cibis a Mose sancitas ex apocalypsis sententia in perpetuum esse valituras, unde sequatur ne-

¹⁾ Cerinthus in sua apocalypsi quam Joannis apocalypsi opposuit regnum mille annorum in terris fore docuit, hominesque libidinibus se esse daturus. V. Cajum ap. Eus. h. e. 3, 23. Papias in similes errores incidit cumque secutus est Irenaeus; tamen vitam libidinosam non expectaverunt. Justinus d. c. Tryph. p. 306 se multosque alios regnum mille annorum expectare dicit, concedit tamen improbari posse hanc opinionem salva pietate ac fide, et si p. 307 acrius adversarios vituperat, id inde est repetendum, quod simul de corporum in vitam reditione loquitur. Errant, qui hunc communem saeculi 2^{di} errorem fuisse dicunt. V. Athen. leg. pro Chr. 31; Theoph. ad Ant. 2, 55 sq. Orig. de princ. 2, 11. Hier. de script. eccl. 23; ep. 130 ad Hedib. in c. 6 Jes. c. 19 Jerem.; Aug. c. d. 20, 7; Epiph. haer. 77. De Nepote ejusque adversario Dionysio Alexandrino v. Eus. h. e. 7, 24.

scio; nam quae ap. 2, 15. 21 leguntur et fictorum deorum cultum simul tangunt et pro temporum hominumque ratione de Pauli quoque sententia dici possunt. V. Rom. 14, 20 — 23; 15, 1 — 3; 1 Cor. 8; 10, 14. 25; act. ap. 21, 18 — 26. Justinus quoque carne victimarum vesci vetat propter Gnosticorum errores, quamvis Pauli epistolas non ignoret. Cf. ap. 2 p. 93; dial. p. 229; 231; 241; 258; 261 cum 1 Cor. 2, 4 — 5; Gal. 3, 6 — 9; Rom. 4; Phil. 3, 3; Rom. 8, 5 — 7; 1 Cor. 5, 6 — 8; Rom. 4, 1 — 11; 1. Cor. 12, 7 — 11. 28; 1 Cor. 12, 12. Viennae Lugdunique, ubi Joannis evangelio utebantur, sanguine animalium abstinebant Irenaei temporibus¹⁾. Mirum, quod primi temporis christianos ritu Judaico deum in templo veneratos esse Schweglerus opinatur quum Jacobum Hierosolymis in aedem sacram se contulisse, ut deum adoraret apud Eus. h. e. 2, 23 legat et similia act. ap. 21, 20; 3, 1 reperiat. Complurics legimus, primi temporis christianos in domibus privatis preces vel sacra fecisse ut act. ap. 1, 13 — 26; 2, 1 — 36. 46²⁾; 20, 7, quo libro, si de scriptoris voluntate volumus argumentari, adversariorum nostrorum consensu eadem fere continetur de divinis rebus sententia, quae in tribus primis evangelii et apocalypsi. Antiochiae vixit 1^{mo} saeculo s. Ignatius, cujus epistolas subdificias esse ne iis quidem probabiliter expositum est, quae post alios nuper Bunsenius dixit³⁾. Et sacrorum christianorum saepe mentionem facit uti ep. Eph. 5. 20; Smyrn. 7; Phil. 4; Magnes. 7; ad Polyc. 5 et monet, ut eos vitent, qui legibus Judaicis se obligent, ut ep. ad Magn. 8. 10; ep. ad Phil. 6. 8. 9. Clementis 1^{ma}m ad Corinthios epistolam licet post Hierosolyma eversa⁴⁾, tamen 1^{mo} saeculo scriptam credimus, tamen docet episcopus Romanus c. 32 nos fide, non nostris operibus reddi justos. Polycarpus epistola ad Philippenses missa viduas scribit c. 4 esse sacrificia dei, ut omnes fide augeantur in c. 11 optat, omnia per Christum nos impetraturos esse sperat in c. 8.⁵⁾ In Barnabae, quae vocatur, epistola et in ea, quae data est ad Diognetum, quarum utramque primis christianorum temporibus scriptam esse vix quemquam negare posse puto, religio Judaica, ut dicam, quod sentio, minoris fere fit, quam debet. A Justino scimus christianos, qui nimio amore legem Judaeorum amplexi tenerent, vituperari, sed eo aeternae morti non addici; eorum sententiam, qui Christum divina sancti

¹⁾ Eus. h. e. 5, 1.

²⁾ Vix est dubium, quin panem frangere nil aliud sit, nisi quod apud Syros aliosque conversum legitur, eucharistiam celebrare, id quod et loquendi consuetudo et rerum verborumque quasi contextus satis declarat.

³⁾ Tres episcopi Antiochensis epistolas aliquanto breviores ex Graeco in Syriacam linguam conversas Curetonius in lucem edidit. Sed in his quoque Christus deus nominatur et deum speciem humanam induisse scribit seque pro iis sanguinem effundere velle, qui episcopo, presbyteris, diaconis sint obedituri.

⁴⁾ V. quae disputavimus comm. qui inser. lit. Anzeiger zum Katholiken Nr. 11 a. 1844 p. 51.

⁵⁾ *Δι' ἡμᾶς ἵνα ζήσωμεν ἐν αὐτῷ, πάντα ὑπέμεινεν.*

spiritus virtute esse natum negarent, improbat¹⁾; tamen quamvis Christum verum esse deum saepissime plane et aperte dicat, quae ejus est lenitas, asperis in ea repudiatione verbis non utitur. Nihilominus acrius quoque interdum de Judaeis judicat, ut dial. c. Tryph. p. 234. 236. Quidquid igitur de discrepantibus et inter se pugnantibus sententiis, quae insint in 4^{to} evangelio et apocalypsi disceptant: in magno errore versantur resque perturbant, quae difficiles non habent explicatus. At dicunt, Joannem, qualis in tribus primis evangeliiis descriptus sit, alium esse atque eum, qui 4^{um} evangelium scripserit, hominem acerrimum, quem absorberit aestus quidam non insolitae ferventibus animis gloriae.²⁾ Verum enim vero, qui non potest irasci, habere amorem erga quemquam nequit. Tamen et Joannem in 4^{to} evangelio et in epistolis acri studio res christianas defendentem invenimus, id quod jam demonstravimus, et tenerum quidquam atque molle in apocalypsi offendimus. Qua gratia ac dulcedine sunt repleti c. 22 versus 17. 20. 21. 3. 4. 5; 21, 2. 3. 4; 19, 7. 8. 9; 14, 13; 7, 12 — 16; 2, 9. 11; 3, 20, alii. Cf. ev. 13, 33; 21, 5; 1 ep. 2, 2. 12. 18. 28; 3, 7. 18; 4, 4; 5, 21. Et ut in evangelio et epistola, ita non multo minus in apocalypsi, quae dicunt diminutivis nominibus Joannes libenter utitur. Ut ibi enim est *ὀνάριον, πλοιάριον, ὀψάριον, τεκνία, παιδία*, alia: ita hic 10, 2. 8. 9 *βιβλαρίδιον*, 3, 18; 18, 16 *χρυσίον*, 16, 15; 19, 13. 16 *ἐμάτιον*, 1, 14 *ἔριον, δαιμόνιον*³⁾, *θηρίον, ἄριον*, alia. Illud quoque memoratu dignum est, quod quum Joanni deus videnda mitteret, quae procedente tempore essent futura quumque ita res visae et describendae sua sponte disponderentur et in ordinem quendam digererentur, in 4^{to} evangelio magis quam in aliorum quodam omnia consilio constituto et ratione sunt narrata atque descripta. Mirum etiam, quam graviter ea animum commoveant, quibus ap. 22, 11 summa cum indignatione improbi ut resipiscant, monentur, mirum quoque, ev. 12, 40 severius et ut ita dicam durius, quam apud Paulum et in aliis evangeliiis factum sit, Isaiae verba commemorari itaque animos gravissime affici. Huc accedit, quod in evangelio Joannes dominum semper iterata affirmatione et asseveratione inducit verba sua sancientem⁴⁾, in apocalypsi au-

¹⁾ Schliemannus in l. qui inscr.: Die Clementinen etc. Hamb. 1844 locum, de quo agitur, ita interpretatur, ut Justinus dicat, a se illos in fratribus christianis non numerari.

²⁾ Marc. 5, 18 Christus Jacobum et Joannem filios tonitruum nominat; 10, 53 fratres pro Christo mori parati dominum rogant, ut se ad ampliora officia promoveat; 9, 38 Joannes quendam daemones expellere et fugare vetat, quum divinum magistrum non sequatur; Luc. 9, 54 Zebedaei filii vicum quendam Samariae, quo ingressum Christo prohibuerant incolae, igne a coelo demisso cupit cremari.

³⁾ Tert. apol. 32: „Nescitis genios daemones dici et inde diminutiva voce daemonia?“ At hac voce alii quoque plerumque utuntur.

⁴⁾ 1, 51; 5, 5. 11 etc.

tem iteratis minandi vocibus poenas impendentes denuntiantem.¹⁾ Et in hoc quoque libro similem rei affirmandae rationem invenies 1, 7; 7, 12. Unum porro est, quod vel maxime huc pertinere puto. Ephesio episcopo non sine magno dolore exprobratur, studium ejus atque Christi amorem jam senuisse. Verisimile autem est, cum amore episcopi aliorum quoque christianorum studium ibi languisse, id quod Tertulliano²⁾ non fuisse dubium videtur. Neque minus est verisimile, evangelium 4^{um} primo literis ad fidem faciendam additis Ephesum esse missum.³⁾ Quoties vero in 1^{ma} epistola eos, ad quos scribit, i. e. Ephesios adhortatur, ut pietatem amoremque erga deum colant et foveant! V. 1 ep. 2, 5. 9. 10. 11. 15. 28; 3, 1. 10. 11. 14. 16. 17. 18. 23; 4, 7—12. 16—21; 5, 1. 2. 3. In 4^{to} evangelio quoque caritas vel diligentissime commendatur. V. 3, 16; 13, 34. 35; 14, 15. 21; 15, 9. 10. 12. 13. 17; 17, 26; 21, 15—17. Cf. 2 ep. 5. Quae ultimo 1^{mae} ep. versu leguntur, ad Nicolaitas referri possunt. Praeter caritatem nihil Joanni augustius est, quam veritas. Qui amet et faciat mendacium, eum in regnum coelorum introiturum non esse dicit ap. 22, 15; 21, 8. 27; 14, 5; et Christus verus fidelisque nominatur 3, 7. 14; in ev. autem 8, 44 diabolus mendacii pater et mendacium ejus proprium, sed Christus 14, 6 et 1 ep. 5, 6 veritas vocatur; veritatem homines liberaturam esse ev. 8, 32 et veritate eos sanctos reddi oportere 17, 17. 19; 18, 37; 1 ep. 3, 19 audimus. Cf. 2 ep. 2. 4; 3 ep. 3. 4; 1 ep. 1, 6. 8. Sed haec haecenus; satis enim multa diximus de similitudine, quae inter evangelium epistolasque Joannis et inter apocalypsim intercedit, si rem omnemque animos commovendi rationem respicimus. Sed quanquam alia esse debet oratio sancti vatis, alia sancti doctoris, tamen non raro ipsis verbis eorumque conformatione congruunt. De deo, ad salutem nobis afferendam resque nostras tuendas et summa felicitate augendas inter homines commorante dicitur Joan. ev. 1, 14: ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, ap. 21, 3: σκηνώσει μετ' αὐτῶν, 7, 16: σκηνώσει ἐπ' αὐτοῖς. Andreae et ni me omnia fallunt, Joanni interrogantibus, ubi habitet, Jesus J. 1, 40: ἔρχεσθε καὶ ἴδετε inquit; idem Joanni ap. 6, 1. 3. 5. 7: ἔρχου καὶ ἴδε. Ap. 9, 6 legimus de hominibus ad desperationem fere adductis: ζήτουσι... καὶ οὐ μὴ εὐρήσουσι, ev. 7, 36: ζητήσετε... καὶ οὐχ εὐρήσετε, ap. 11, 6: ἔχουσιν ἐξουσίαν κλεῖσαι... καὶ ἐξουσίαν ἔχουσι... στρέφειν, ev. 19, 10; ἐξουσίαν ἔχω σταυρώσαι., καὶ ἐξουσίαν ἔχω ἀπολύσαι, 10, 18: ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι καὶ ἐξ.

¹⁾ 18, 10. 16. 19 cf. 3, 15.

²⁾ Tert. de poen. 8: Evolve, quae spiritus ecclesiis dicat. Desertam dilectionem Ephesiis imputat, stuprum et idolothytorum esum Thyatirensis exprobrat, Sardos non plenorum operum incusat, Pergameno doctores perversa reprehendit, Laodiceos fidentes divitiis objurgat.

³⁾ V. Hugium in l. qui inser. Einleitung in d. Schriften des N. T. t. 2. p. 254 sq.

ἔγω λαβεῖν, ap. 16, 7: δίκαια αἱ κολαίαι σου, ev. 5, 30: ἡ κολαίαι ἡ ἐμὴ δίκαια. Cf. ap. 22, 7. 9; 3, 10. 8. 3; 1, 3 c. ev. 8, 51. 52. 55; 14, 24. 23. 21. 15; 15, 20. 10; 17, 6; 1 ep. 2, 5; 3, 24; ap. 1, 1 c. ev. 12, 33; 18, 37; 21, 19; ap. 1, 1 c. ev. 12, 33; 18, 32; 21, 19; ap. 12, 17 c. 1 ep. 5, 10; ap. 3, 21 c. ev. 5, 26; ap. 1, 9 c. ev. 5, 36 et c. 1 ep. 5, 10; ap. 3, 4 c. ev. 6, 66; ap. 3, 10 c. ev. 12, 27; ap. 2, 7. 12. 17; 3, 5. 12. 21; 21, 7 c. 1 ep. 2, 13. 14; 4, 4; 5, 5; ev. 16, 33; ap. 2, 10 c. ev. 16, 33; ap. 9, 5 c. ev. 3, 17; ap. 12, 9 c. ev. 12, 31; ap. 2, 27 c. ev. 21, 16; ap. 11, 9 c. ev. 11, 44; 18, 8; ap. 13, 4 c. ev. 17, 2; ap. 22, 9 et 13, 4 c. ev. 4, 23. 24.

§. 2.

Apocalypsim a Joanne apostolo scriptam esse antiquissimi scriptores memoriae tradiderunt. *Irenaeus* enim non solum ipse 4, 28. 37. 38; 5, 28 a Joanne apostolo hunc librum compositum esse docet, sed etiam 5, 30 eos auctores testesque producit, qui Joannem de facie noverant ejusque interpretationem loci difficilis, qui in eo libro invenitur, perceperant. *Irenaeum* falsum esse in alia re scimus (cf. 2, 22) neque tamen ejus auctoritatem in hac re jure rejicimus. Ante *Irenaeum Papias* nobis testis est, id enim inter alia ex iis scimus, quae *Andreas*, Cappadociae episcopus nobis tradidit. ¹⁾ Qui scripsit epistolam, qua de iis, qui *Viennae* et *Lugduni* pro Christo mortem occubuerant, in *Asiam* nuntiatum est, apocalypsis verbis evidenter utitur. ²⁾ Neque *Justini* ³⁾ fides in hac re infamari potest neque *Theophili*, episcopi Antiocheni, ⁴⁾ neque *Melitonis*, ep. Sardii, ⁵⁾ neque *Apollonii*, Ephesii ⁶⁾, qui universi 1^{mo} et 2^{do} seculo vixerunt. Quo refero eum quoque, qui scripsit illum librorum indicem, qui est apud Muratorium. *Clemens* quoque Alexandrinus ⁷⁾, *Tertullianus* ⁸⁾, *Origines* ⁹⁾, *Hippolytus* ¹⁰⁾ *Neposque* Aegypti episcopus et sacrorum carminum scriptor ¹¹⁾, testes produci possunt. Ipsos *Cerinthum* et *Cajum*, *Irenaei* discipulum appello ¹²⁾. *Dionysium* Alexandrinum scimus a Joanne apostolo apocalypsim abjudicare ¹³⁾, sed vehementer errant, qui id imprimis inde factum esse putent, quod

¹⁾ Andr. Prol. in apoc. inter opp. Chrysost. in N. T. t. 2 Frontod. Francof. p. 175. — ²⁾ Eus. h. e. 5, 1. Epagathum dicit agnum secutum esse, quocumque ierit. Cf. ap. 14, 4. Deinde dicit evasisse, quae in *litteris divinis* sint: „Qui injustus est pergat injuste facere et qui justus est fiat etiam justior.“ Cf. ap. 22, 11. ³⁾ Júst. dial. c. Tryph. J. p. 303 scriptorem Joannem, unum ex apostolis Christi nominat. — ⁴⁾ Eus. h. e. 4, 24. — ⁵⁾ Eus. 4, 26. Hier. catal. — ⁶⁾ Eus. h. e. 3, 18. — ⁷⁾ Paed. 2, 10. 12; str. 6, 15. — ⁸⁾ Adv. Marc. 5, 14; 4, 5; de praescr. 53; de resur. carn. 27; de pud. 19. — ⁹⁾ Eus. h. e. 6, 25; hom. 7 in Josu. 1. — ¹⁰⁾ In statua marmorea et ap. Hier. in cat. eum de apoc. scripsisse traditum est. Pro Christo mortem Valeriano imperatore occubuisse videtur. — ¹¹⁾ Eus. h. e. 7, 24. — ¹²⁾ V. Hug. II, p. 594. — ¹³⁾ Tamen ap. Eus. 7, 10 ipse apocalypsim appellat.

4^{um} evangelium et apocalypsim ad unum scriptorem referri non posse censuerit. Nepotis somnia de regno mille annorum refellere et redarguere debuit ideoque librum, quem ille appellabat, non ab apostolo, sed a presbytero Joanne, illius aequali, profectum dixit et qui paulo ante eum ¹⁾ apocalypsim tanquam suppositam rejecerant Cerinthique esse dixerant, non se memoria vel literis scire dixerant, librum esse subditum, sed ex iis concluderant, quae in eo narrantur ²⁾. Post Dionysium in Asia *Methodius*, episcopus *Lycius* ³⁾, *Lactantius* ⁴⁾, *Ephremus Syrus* ⁵⁾, in Africa *Cyprianus* ⁶⁾, *Athanasius* ⁷⁾, *Marcus Monachus*, *Optatus Milevitanus* ⁸⁾, in Europa *Victorinus*, episcopus *Petavionensis* ⁹⁾, multi *confessores Romani* ¹⁰⁾, *Ambrosius* ¹¹⁾, *Rufinus*, *Hilarius Pictavicus*, *Gennadius Massiliensis*, *Orosius Hispanus* apocalypsim Joannis apostoli nomini addixerunt. Quae de Alogis, quos dixerunt, disputata sint, contra ea ab Hugio ¹²⁾ satis responsum esse nobis videtur. Ceteri quoque doctores Asiatici apocalypsim rejicere ausi non sunt, nam *Cyrillus* episcopus Hierosolymorum eam satis aperte significat in catechesibus, ut Graeca voce utar, ut in 1, 5; 10, 3. 4; 15, 27; magis etiam *Gregorius Naz.*, ut in or. 35 (29), 17; 40, 45; 32 (42), 9 ¹³⁾, tamen uterque eam, quum sacros libros nominatim numerant, ordine eorum eximit, et quamvis *Basilius Cappadox* et *Epiphanius Cyprius* ea et ipsi utantur, tamen *Amphilochius*, *Iconii episcopus* et *Hieronymus* fatentur, apocalypsim non ab omnibus, praesertim Graecis, ut librum divinum probari. Sed haec unde profecta sint, novimus neque inde libri auctoritatem minui. Ipsa apocalypsis 1, 4. 9; 22, 8 Joannem scriptorem eumque 22, 7. 9. 18. 19 totius libri scriptorem significat eumque socium Christi ¹⁴⁾ 1, 2, participem populi christiani vexationum 1, 9, resque divinas pronuntiantem 1, 9, eumque Judaeum 8, 3; 9, 13; 11, 1. 2; 14; 15; 6, 6. 16; 8, 10. 11; 9, 7, quippe qui veteris foederis vaticinia scriptaque et terram Judaicam cognoscat. Apostolum exhibet 2, 5. 16. 20; 3, 3. 15. 16. 17, Christi severa mandata et adhortationes pronuntians. Joannem apostolum postremos vitae annos in Asia proconsulari versatum esse scimus ex iis, quae *Irenaeus*, *Apollo-nius*, *Clemens Alexandrinus*, *Origines*, alii ap. *Eus. h. e.* 5, 8. 18; 3, 13. 1. 39

¹⁾ V. Hug. II. p. 334. — ²⁾ *Eus.* 7, 23. — ³⁾ *Ap. Andr. Capp. et Phot. e.* 234 et 257. — ⁴⁾ *Instit. d. epit.* 46: „Hujus nomen nulli est notum, sicut docet Joannes in Revelatione.“ Cf. ap. 19, 12. — ⁵⁾ *Opp. Graec.* 2, 243. 149; 5, 146. — ⁶⁾ *Cyprianus* multis locis apoc. verba affert. In ep. 36 ad Thibar. Christum inducit in ap. loquentem, aliis locis deum vel dominum; in ep. 65 ad Caecil. eam *scripturam divinam* nominat, *scripturam sanctam* in iis, quae scripsit de habitu virg. p. 210; in ep. 14 et 32 ut divinis literis ea utitur. — ⁷⁾ In fragm. ep. fest. — ⁸⁾ *De sch. Donat.* 2, 7. — ⁹⁾ *Hier. in cat. Cassiodor. instit. div. t.* 2 c. 9. ¹⁰⁾ *Cypr. opp. ep.* 26. — ¹¹⁾ *Hex.* 4, 4, 15; 6, 7, 42. — ¹²⁾ *L. all.* p. 533. sq. — ¹³⁾ Eo loco se de quadam re a Joanne in apocalypsi doceri profitetur. — ¹⁴⁾ Non est, quod hunc versum ad solas res visas, quae hoc libro narrentur, referamus.

memoriae prodiderunt Ephesique sepulchrum ejus monstratum esse. Cum Romanis quoque usus quidam ei fuit, qui scripsit 4^{um} evangelium, vocibus enim latinis utitur, ut est in 6, 7 *θηράριον*, in 13, 4 *λέντιον*, in 11, 44 *σουδάριον*, in 2, 15 *φραγγέλλιον* praeterea in oratione ejus quiddam Hebraicum inest ¹⁾. Cujus evangelii antiquitati et auctoritati qui his temporibus repugnant, id quaeso animadvertant, in apocalypsi quoque gnosticorum, quos vocant, sententias impugnari, quem librum consensu fere communi a Joanne ap. scriptum esse censeant. Quarto autem evangelio non res gestas solum narrari, sed res et sermones ratione quadam perniciosis erroribus consulto opponi facile intelligitur, idque gnosticorum et id genus hominum. Nihil agunt, qui primo historiam nobis fucatam falsamque imponere ex eaque nobis persuadere student, evangelium quartum a Joanne non potuisse proficisci. Joannes de Verbo aeterno, qui sit rerum creator, verus deus, de unigenito, qui sit vita, via, veritas, lux, vere homo, major Joanne Baptista, scribit et Jesum esse Christum saepissime contendit; in Cerintho enim, adversario ejus, horribilis quaedam conjunctio confusioque Judaicarum, magicarum Graecarumque opinionum inerat ²⁾, et Ebionitae, Nicolai falsi sectatores, Joannis Baptistae discipuli prae fracto animo ³⁾, et qui doctae ⁴⁾ vocantur, errores turpissimos disseminaverant. Unde jure nostro colligimus, originem 4^{ti} evangelii ab hoc tempore repeti posse. Qui scripsit evangelium, res ipsas vidit, quas narrat, tempus locumque novit rerum gestarum earumque numerum, rationes conditionesque. Cf. 1, 10; 4, 6. 52; 19, 14; 2, 6; 4, 43; 5, 2. 38; 6, 7. 9. 10. 13. 19. 22; 11, 39; 12, 1. 3; 1, 28; 10, 40; 3, 23; 1, 43. 48; 2, 1; 3, 23 etc. Quid multa! Id quidem certum esse videtur, nisi qui coram viderit Christumque comitatus sit, nemini tam miram accuratorem in describendis et narrandis rebus esse posse. Accedit, quod apud antiquissimos scriptores christianos hujus evangelii epistolaeque 1^{mae}, quae ab eo separari nequit, vestigia inveniuntur. Scio id negari, sed id quoque scio, negando nihil evinci. Tu quidem cf. velim quae scribit Polycarpus in ep. c. 7: Πᾶς γάρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ, Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθῆναι, ἀντιχριστὸς ἐστὶ, καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστὶ cum iis, quae leguntur 1 ep. 4, 3 hoc modo: Πᾶν πνεῦμα, ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθῆναι, ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστὶ, καὶ πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν (Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθῆναι), ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστὶ καὶ τοῦτο ἐστὶ τὸ τοῦ ἀντιχριστοῦ.

¹⁾ V. Seppium 7, 232. — ²⁾ Iren. 3, 11. 9; 1, 26; Epiph. haeres. 69; Hieron. cat. s. v. Joann. In historia nitimur, non in opinionibus praedjudicatis. Cerinthus Joannis erat aequalis, ut testatur Polycarpus ap. Eus. 5, 23; 4, 14, Irenaeus 3, 3. Tertullianus in c. 43 de praeser. h. Ebionem post Cerinthum collocaat. — ³⁾ Cf. Act. ap. 19, 1—8; recog. Clem. 1, 54 et ev. J. 1, 15. 20—31 33; 3, 26—36; 5, 34—37; 10, 40. 41. — ⁴⁾ V. 1, 14; 4, 33; 12, 27; 13, 21; 11, 33—35; 19, 34—38; 20, 27. Cf. 1 ep. 4, 2; 2 ep. 7.

Lützelbergerum novi dicere, locos communes eos esse, equidem censeo, auctoritatem interponere illum suam. Praesertim nomine Antichristi scriptores ante Irenaeum rarissime utuntur. Papiam narrat Eusebius h. e. 3, 39 usum esse locis 1^{mae} epistolae Joannis; Apollonius sine dubio unam saltem ex ep. Joan. commemorat¹⁾, Irenaeus²⁾, Clemens Alexandrinus³⁾, Dionysius Alex.⁴⁾, Tert.⁵⁾, Origines⁶⁾, is, qui est auctor indicis apud Muratorium, Cyprianus⁷⁾, Phileas ep. Thmuis ap. Eus. 8, 10; Petrus Alex. in collect. conc. Hard. t. 1 p. 226 sq., Eusebius⁸⁾, Hieronymus⁹⁾ primae dant testimonium. Nec minus Secundinus in conc. quod vocatur Carth. ap. Cypr. p. 360; Novat. de trin. 7; Athan. or. 2 c. Arian. 6; ep. 2 ad Serap. 24; ep. 3 ad Serap. 3; Antonius Aegypt. monach. ap. Athan. in vit. Ant.; Greg. Naz. or. 30 (36), 14; 31 (37), 19; Optat. Milev. de sch. Don. 1, 15; 2, 20; 7, 2; Cyr. Hieros. cat. 4 dogm. 6; cat. 6, 14; 7, 3; 14, 13; 23, 16; Cyr. Alex. c. Julian. ed. Spanh. 1696 p. 265; Aug. de c. d. 14, 9. Ceterum cf. 1 ep. 3, 1. 2 c. ev. 1, 12; 1 ep. 3, 13 c. ev. 15, 18; 1 ep. 4, 5 c. ev. 15, 19; 1 ep. 4, 12 c. ev. 1, 18; 1 ep. 4, 9. 14 c. ev. 3, 16. 17; — 1 ep. 5, 10. 12 c. ev. 3, 18. 36 etc. De evangelio cf. Ignat. ep. ad Eph. 17, 19; Magn. 1.; Phil. 6; Trall. 4; Rom. 7; ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου c. J. ev. 12, 31; 14, 30; 16, 11; — ep. ad Magn. 6: οὗς πρὸ αἰῶνων παρὰ παντὶ ἦν c. J. ev. 17, 6. 24; — ib. 7 c. J. ev. 12, 49; 10, 30; 14, 11; — ib. 8 c. J. ev. 1, 1; ep. ad Eph. 5 c. J. ev. 17, 21; — ib. 7 c. J. ev. 1, 4. 14 et ap. 1, 18; — ib. 17 c. J. ev. 12, 7; ep. ad Trall. 8 c. J. ev. 6, 51; ep. ad Rom. 4 c. J. ev. 8, 31; 14, 19; — ib. 7 c. J. ev. 6, 32. 33. 45. 51 — 58; ep. ad Phil. 9 c. J. ev. 10, 9. Unde id saltem efficitur, et verba et sententias evang. 4^{ta} in Ign. epistolis saepenumero inveniri, ex quo, quum Ignatius septem fere annis post Joannem mortem occubuerit, sequitur, ea illi tempori non fuisse aliena; id vero nobis, qui ev. a Joanne profectum esse negant, persuadere volunt. Eandem verborum sententiarumque similitudinem in ep. ad Diognetum ab apostolorum quodam discipulo scripta invenies. Cf. 6: οὐκ εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ κόσμου c. J. ev. 17, 14: οὐκ εἰσὶν ἐκ τοῦ κόσμου (cf. 11, 16) et 10: ὁ γὰρ Θεὸς τοὺς ἀνθρώπους ἠγάπησεν . . . πρὸς οὓς ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ c. J. ev. 3, 16. Justino ev. 4^{tum} notum et contestatum fuisse, non est, quod neges. Dicit enim christianis esse evangelia ab apostolis eorumque comitibus scripta. Quum ea ab apostolis eorumque comitibus dicat scripta, non ab apostolo et apostolorum comite, duo saltem ab apostolis et non minus duo ab

¹⁾ Eus. h. e. 5, 18. — ²⁾ 3, 18; 5, 3. 16. — ³⁾ Strom. 3 p. 439; 2 p. 389. — ⁴⁾ Eus. h. e. 7, 23. — ⁵⁾ De an. 17; c. Marc. 5, 16 etc. — ⁶⁾ Hom. in Jos. 7 t. 2 p. 412; comm. in Joan. t. 4. p. 95. Eus. h. 4, 23. — ⁷⁾ Cypr. ep. 32 ad Anton. p. 87; ep. 23 ad Moys. p. 45 etc. — ⁸⁾ H. e. 5, 25. — ⁹⁾ In catal. s. v. Joan.

apostolorum discipulis esse profecta tradit, quumque *Tatianus*, discipulus ejus ¹⁾, quatuor agnoverit evangelia ²⁾, nemo nisi qui difficillime adduci potest ut credat, Justino quatuor evangelia nota fuisse negabit, praesertim quum ex quatuor nostris evangeliiis quaedam manifesto desumpta invenerit. Quum vero *Tatianus* inter illa quatuor Joannis haberet evangelium, Justino idem fuisse cognitum quivis facile concedet. Accedit, ut Justinus sine dubio, ut dixi, quosdam locos, qui in evangelio Joannis inveniantur, appellet vel imitetur. Cf. quaedam in ap. 1, 44 cum J. 1, 1—4; ap. p. 89 c. 3, 3—5; ap. 2 p. 56 c. 4, 24³⁾; p. 68 c. 1, 18; 74 cum 1, 12—14; p. 74 c. 14, 29; p. 83 c. 1, 9; p. 86 c. 15, 26; p. 94 c. 3, 3; p. 96 c. 8, 19; 1, 1; dial. c. J. Tr. p. 221 c. 5, 37; p. 235 c. 1, 19; p. 245 c. 7, 22; p. 249 c. 19, 34. 37; p. 258 c. 8, 31; p. 286 c. 3, 31; p. 288. c. 16, 28; p. 295 c. 4, 14; p. 296 c. 7, 12; p. 323 c. 8, 32; p. 326 c. 10, 18; p. 332 c. 1, 18; p. 333 c. 13, 3; p. 337 c. 15, 1. 2; p. 339 c. 3, 14; p. 342, c. 4, 14; p. 316 c. 1, 21. 23; p. 353 c. 1, 12; p. 354 c. 17, 6 etc. At locum, qui est 2 ap. p. 94 allatum esse posse ex ev. Hebr. dicunt, quum praesertim in Clem. hom. 11, 26 inveniantur. Quasi vero fieri non possit, ut in Clem. h. 11, 26 verba ista ex ev. J. transierint. In recogn. Clem. quae dicuntur, non solum in 6, 8. 9 legitur: „Sic enim nobis cum sacramento verus propheta testatus est, dicens: Amen dico vobis, nisi quis denuo renatus fuerit ex aqua, non introibit in regna coelorum,“ sed etiam in 3, 66: „Misericordes estote ad omnes, non verbo solum, sed et opere et rebus implete caritatem.“ Cf. ev. 3, 5; 1 ep. 3, 18. Praeterea cf. 1, 54 c. ev. 4, 20; 6, 9 c. 3, 5; 5, 12 c. ev. 8, 34; 7, 7 c. ev. 13, 14; 7, 59 c. ev. 2, 25; 9, 47 c. ev. 8, 55. Sed ut haec mittamus, num veri simile est, Justinum Hebraeorum evangelio usum esse, quum duo saltem ab apostolis scripta habeat, Matthaei vero, Marci Lucaeque satis aperte significet? Cf. dial. p. 269 c. Matth. 17, 13; p. 333 c. Marc. 3, 17; p. 303 c. Luc. 2, 1—6 et p. 304 c. Luc. 2, 7. Cujus apostoli nomini Hebraeorum ev. addixit? Atque illud urgeo, *Tatianum*, Justinum discipulum Joannis evangelio esse usum. Negas? V. p. 144. 158. 195. Atque *Dionysius Barsalibius* testatur illius evangelii, quod *Tatianus* ex quatuor fecerit, initium factum esse a verbis: In initio erat verbum etc. isque commentarium ejus a *Ephremo* confectum noverat. *Theodoretus* Cyprius et ipse id cognoverat isque non dubitat, quin ille Joannis evangelio usus sit ⁴⁾. Venio ad *Celsum* Epicuraeum, qui et quatuor saltem evangelia non ignorabat et Joannis aper-

¹⁾ Iren. adv. haer. 1, 23. — ²⁾ Eus. 4, 29. — ³⁾ De hujus loci interpretatione v. quae diximus in comm. qui inser. : Repertorium für kath. Leben u. ed. a Bernardo Nr. 46 a. 1843. — ⁴⁾ V. Hug. 1 p. 50.

te significat ¹⁾). *Marcion*, qui circa a. 150 Romae erat, universa nostra evangelia germana esse non negabat, sed eorum doctrinam praeter Lucae fere impugnabat ²⁾) *Scimus Valentinum* Aegyptium circa annum 140 p. Ch. n. Romam advenisse ibique novam sectam instituisse. Quum circa annum 160 mortuus sit, initio secundi saeculi non multo post mortem Joannis apostoli eum eruditum atque institutum constat. Joannis evangelium ab eo esse probatum ex ejus *πιστιῆ σοφία* et Irenaeo notum est ³⁾). *Ptolemaeus* Valentinianus ap. Epiph. haer. 33 ev. Joan. agnovisse intelligitur et *Heracleon* de eodem ev. scripsit. *Theodotus* saepius J. ev. utitur ⁴⁾). *Montanus* Phrygius c. a. 170 vixit Joannisque evangelio usus est, ut Tertullianus, ejus sectator, abunde ostendit ⁵⁾). Sed id quaeso quivis animadvertat, scriptorem quendam contra Montanum ut scriberet rogatum, id facere veritum esse, ne ad evangelia quidquam addere vel iis subtrahere videretur ⁶⁾); tam constanter tenebant, habebant, possidebant religionis suae documenta. Ipsi Alogi, quos Epiphanius nominavit ⁷⁾), antiquitatem evangelii ^{4^{to}} non negabant, sed id a Cerintho, apostoli aequali, profectum esse dictabant ⁸⁾). De *Athenagora* cf. leg. pro Christ. p. 30 ed. Gesn. c. J. ev. 1, 1; 10, 30. 38; — ib. p. 12 c. J. ev. 17, 3. *Theophilus* vero, qui circa a. 168 episcopus factus est Antiochenus, et Joannem nominat auctorem et initio evangelii aliisque locis utitur ⁹⁾). *Apollinaris* quoque, Hieropolites, qui Marci Aurelii temporibus vivebat, ^{4^{to}} ev. dat testimonium, dum Christo latus lancea esse perfossum commemorat ¹⁰⁾), ad idemque tempus referendus est, qui *indicem librorum sacrorum scripsit, qui est apud Murat.*, quoque ev. Joan. in germanis sanctisque collocatur. In *Irenaei* notitiam non ex Asia minori, sed Roma ev. ^{4^{to}} esse perlatum dicunt, nam fuisse id ei notum negare non audent ¹¹⁾). At id quum ita esse contendat, paulum velim probationis adjiciant; notum fuisse tum id evangelium in Asia, jam demonstratum est. Irenaeus vero se Polycarpo juvenem usum esse eumque ea docu-

¹⁾ Ib. p. 44. Cf. Orig. c. Cels. 2, 74. 56; 9, 2. 9. 10. 13. 31. 36. 72. — ²⁾ V. Tert. adv. Maer. 4, 5. 3. — ³⁾ 1, 3. 27; cf. 3, 2; Tert. praescr. 53. 49: evangelium habet etiam suum praeter haec nostra; Hug. p. 93. — ⁴⁾ V. Hug. 1 p. 52 sq. At Heracleonem et Ptolemaeum quum Christum annum modo homines instituisse dicant, Joanne historiae auctore usos non esse contendunt. Quasi homines vanos sibi semper constare necesse sit. Quasi veteres enodandis difficultatibus evangeliorum semper plurimum valuerint! Nonne Clemens Alex. str. 1 p. 540, Orig. de princ. 4, 5, Tert. adv. Jud. 3, Iren. 2, 22 in similibus erroribus versantur, quamvis Joannem verum veri testem habeant? — ⁵⁾ Certum est, libros adv. Marc. a Tertull. scriptos esse, quum esset a Montani disciplina. V. 1, 29; 4, 22. Saepae autem Joan. ev. et ep. appellat, ut 2, 5; 5, 8; 4, 55. Cf. de jejun. adv. ps. 11. 13. — ⁶⁾ Eus. h. e. 5, 16. — ⁷⁾ Adv. haer. 31 c. 5; in synops. t. 1, 2, 3. — ⁸⁾ Epiph. adv. h. 1. 1.: λέγουσι γὰρ μὴ εἶνα ταῦτα Ἰωάννου, ἀλλὰ Κηρύβου. — ⁹⁾ Ad Aut. 2, 22; 3, 12 — ¹⁰⁾ Chron. pasch. ed. Ducange p. 6. Quumque celebrata vox *σπασιάζειν* nihil possit significare, nisi evangelia inter se discrepare, certo J. ev. significat. — ¹¹⁾ V. adv. h. 5, 1 et 5, 11.

isse dicit¹⁾, quae ab apostolis accepisset; certe ergo quum Polycarpum Joannis sciret esse discipulum, 4^{ti} evangelii doctrina cum Polycarpi consentire ei visa est. Praeterea ei opus non esse videtur demonstrare, esse quatuor neque plura quam quatuor evangelia, eademque quae nobis in usu sunt, quum et omnibus hominibus notum sit neque *falsae doctrinae doctores negare audeant*. Huc is quoque referendus est, qui mortem eorum, qui *Viennae et Lugduni* pro Christo mortem occubuerunt, in Asiam nuntiavit; utitur enim in ea epistola J. ev. 16, 2. *Polycratem* quoque, Irenaei aequalem, testem produco; dicit enim, Joannem super pectore domini recubuisse, quod iisdem verbis legitur J. ev. 21, 20 cf. 13, 25. Cf. etiam 6, 66; 5, 21; 12, 1. 9. 17. At primam loquendi formulam omni populo christiano in ore fuisse dices ceterisque locis nihil fere posse demonstrari. Non valde repugno, at unde tibi ista rei notitia? Polycratem dices contra ea, quae 4^{to} ev. tradantur, festos dies paschales voluisse celebrari. Haec quo evasura sint, videamus. Quae erat de festis diebus paschalibus controversia, ea alio tempore alia videtur fuisse. Prima fuit inter Polycarpum et Anicetum²⁾. Scimus a primis temporibus apostolis sine dubio auctoribus 6^{to} et 4^{to} hebdomadis nostrae die multos christianos jejunasse in memoriam Christi cruci affixi et necis a Judaeis destinatae, 1^{mo} vero omnes lactitiae se dedisse propter Christi in vitam reditum³⁾. Facile autem intelligitur, si 14 Nis. in alium atque in 6^{to} hebdom. incidisset, illum ordinem esse turbatum. Quamobrem hebdomadem, qua Christus mortuus est, per annorum orbem sancire studebant, ut semper eodem hebdomadis dies memoriae summorum dolorum, quibus Christus extremis vitae diebus cruciatus est, dicarent. Contra Joannes diem annum mortis domini 14 Nis. egisse, quumque Christus verus *agnus* sit pro peccatis nostris immolatus⁴⁾, die necis in ejus memoriam agnum paschalem comedisse, quippe quo verus agnus sit quasi praemonstratus⁵⁾, quumque morte Christus amorem ac gloriam suam praecipue illustraverit⁶⁾, illo cibo jejunium solvisse videtur. Ejus auctoritatem qui Asiam minorem incolebant secuti sunt. Hi tamen 1^{mo} hebdom. diem agitasse videntur, quo Christus in vitam redierit, nam de hoc controversiam

¹⁾ Eus. h. e. 4, 14. Irenaeus tum erat *παῖς* et *ἐν τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ*, sed eae voces aetatem annorum quindecim possunt significare. — ²⁾ Iren. 5, 5; Eus. h. e. 4, 15; 5, 24. — ³⁾ Petrus Alex. coll. conc. Hard. 1p. 226 rem ita esse *κατὰ παράδοσιν*, Iren. ap. Eus. 5, 24 jejunii differentiam multo antea apud majores ortam esse dicit. Cf. Ignat. ad Magn. 9; Barnab. ep. 15; Justin. ap. 1 p. 98; Tert. ap. 16; Dion. Alex. ap. Eus. 4, 25; act. apost. 20, 7; 1 Cor. 16, 2. Dion. Alex. in ep. ad Basilid. usque ad diem, quo in vitam Christus redierit, jejunari debere notum sumit, qua hora noctis ultimae jejunium solvere liceat, parum sciri profitetur. Can. apost. 65, qui licet posteriore tempore sit ortus, tamen prius fingat, sabbato per annum jejunare nisi uno vetantur. — ⁴⁾ J. ev. 1, 29; ap. 3, 6 etc. — ⁵⁾ J. ev. 19, 36. — ⁶⁾ J. ev. 12, 25; 15, 51.

fuisse non legimus. Res inter Anicetum et Polyc. non convenit, tamen alter alterius discrepantem sententiam leniter ferebat. Secunda controversia Laodiceae exorta est. Apollinaris ¹⁾ 14 Nis., adversarii 15 Christum cruci esse affixum contendunt ²⁾. Hi 14 Nis. agnum pasch. edebant *in memoriam coenae domini* et cibo *nimum tribuisse* eumque sumere cujusvis hominis christiani esse videntur contendisse ³⁾. Melitonem scimus ⁴⁾ 14 Nis. agnum comedisse, et quum Hierapoli antea idem factum esse notum sit ⁵⁾, veri simile est, *Apollinarem quoque eam consuetudinem tenuisse*. Tamen agno comedendo et diem *mortis Christi* agebant et ab omni errore Judaico erant alieni. Clementem Alex. *contra Melitonem* scripsisse, nusquam dictum est. Tertia erat inter Polycratem Ephesium et Victorem Romanum ⁶⁾. A Victore stabant episcopi, qui in Palaestinam convenerant, quibusque Theophilus, ep. Caesar. et Narcissus, ep. Hieros. praeerant, episcopi Ponti, quorum rebus Palmas praesidebat, episcopi Osroenes urbiumque ibi sitarum, Bacchyllus, ep. Corinthi aliique plurimi ⁷⁾; Alexandrini quoque cum iis consentiebant ⁸⁾. *Hi igitur omnes, si qui Polycratis sententiae facebant, 4 ev. ignorabant, id novisse et approbasse sumo idque urgeo atque insto*. Quae multitudo testium! Sed apertum esse puto, neque ullam praecipuam in ea re ev. 4^{ti} factam esse mentionem, neque ab iis, qui a Romanis faciebant, Joannis evangelium esse appellatum. Ab Apollinari et Math. et Joan. ev. appellatum esse constat. Agebatur autem quum de aliis rebus, tum de jejuniis servandis neque maturius solvendis, ut Irenaeus perspicue declarat ⁹⁾. Sed Victor quique ab eo stabant, fortasse omnes vere christianos sibi indulgere eo minus volebant, quum qui erant a Montano, eos remissius vivere criminabantur ¹⁰⁾. Accedit, quod Blasius quidam eo tempore Romae errores Judaeorum consuetudini faventes dispersit; quod propter Marcionis falsas sententias ad unum omnes boni consentire debere videbantur, quod jure suo Asianis, e quibus profecti essent Valentinus, Marcion, Montanus aliique diffidere poterant. Unde Victoris severitas tam potest explicari, quam Irenaei lenitas. Tantum vero abest, at his controversiis evangelii Joan. cadat auctoritas, ut iis major ei constituatur. Sed quid aliis de eo videatur, videamus. *Hippolytus*, Irenaei discipulus ¹¹⁾ et *Clem. Alex.* str. 1, 1. 17; 3, 13 *Originesque* in comm. in Matth. et ap. Eus. 6, 25 Joannis evangelii nullam controversiam esse

¹⁾ Serapion, ep. Antioch. ap. Eus. h. e. 5, 19 eum beatissimum nominat. — ²⁾ V. chron. pasch. l. l. — ³⁾ Weitzelio assentior; ab Apollinari enim cum vi Christi mors nominatur *θυσία μεγάλη, ὁ ἀνὶ τοῦ αἵματος πᾶσι θεοῦ*. — ⁴⁾ Eus. h. e. 5, 24. Suspiciari potes, usum panis fermentati et non ferm. ad hanc rem judicandam aliquid momenti posse asserre; sed hic locus est subdifficilis. — ⁵⁾ Eus. h. e. 5, 24. — ⁶⁾ Ib. 25. — ⁷⁾ Ib. 25. — ⁸⁾ Ib. 24. — ⁹⁾ Cf. Tert. de jejun. adv. ps. 17. — ¹⁰⁾ V. indicem libr. ejus in statua marmor. et l. contra Noet. 11 sq.

posse credunt, item *Tert.* adv. Marc. 4, 2. 5; de praescr. 36; adv. Prax. 23. Multis annis ante a *Syris*, post medium saeculum 3^{ti}um a Platonicis Amelio ¹⁾ et Porphyrio ²⁾ ev. J. agnitum et ab *Eusebio* in iis numeratum esse, quorum nulla sit controversia, notum est. *Ammonius Saccas*, *Origenis praeceptor* ex quatuor ev., inter quae Joannis erat, unum fecerat ³⁾. *Cyprianus* p. 320. 321. 324. 325; p. 273 (de mort.); p. 168 (ep. ad Jub.); *sacerdotes Romani*, qui erant Cypriani tempore ⁴⁾, *Firmilianus* ⁵⁾, Caesareae Cappadocum episcopus, *Nemesianus Thubunensis* ⁶⁾, *Libosus Vagensis* ⁷⁾, *Julianus Teleptensis* ⁸⁾, *Lactantius* ⁹⁾, J. ev. utuntur. Quo accedunt *Dionys. Romanus* ap. Galland. t. 3 p. 538; *Dionys. Alex.* ap. Eus. h. e. 7, 25; *Novatian.* de trin. c. 10; 11; 13; *Methodius* ap. Phot. c. 235; *Athanas.* c. gentes ed. Montf. 45; 46, quae ante concil. Nicaen. scripta esse apparet; *Paulinus ep. Tyr.* ap. Eus. h. e. 10., 4, *Gregor. Naz. orat.* 29 (35); theol. 3, 17 plurimisque locis; *Cyrrill. Alex. C. Jul. l. l. p.* 123; 269; 328; *Optat. Milev.* 1, 1; 2, 7; 3, 3; *Ambros.* de off. ministr. 1, 31, 163; *Hieron., Rufin., Theodorus Mops., Augustin., Chrysostomus, Marcellus Ancyrr.* et *Asterius* ap. Eus. de eccles. theol. 2, 4; *episcopi Eusebiani* a. 341 Antiochiam congregati ap. Socrat. h. e. 2, 10; *Antonius monach.* ap. Athan. l. l. *Hilarius* de trin. 1, 12; *Sabellius* ib. 7, 4 — 6; *Apollinaris* ap. Athan. adv. Apoll. 2, 1; *Julianus* ap. Cyrill. Alex. l. l. p. 262 et 327. Epistola 2^{da} Joannis apud *Muratorium a vetere illo scriptore* nominatur erratque vehementer *Crednerus*, si duos Joannes ibi habet inventos. *Irenaeus* 1, 13 et 3, 18 2^{dae} epistolae verbis utitur neque ibi alterius Joannis presbyteri vestigium reperies; *Aurelius Chullabien-* *sis* item ¹⁰⁾. *Clemens Alex.* ¹¹⁾ quum majorem nominet Joannis epistolam, minorem noverit oportet, et *Dionysius Alex.* non solum 2^dam, sed etiam *tertiam* appellat et licet quosdam eas ab apostolo abjudicare prodat, tamen ipse eas ab eo profectas esse censere videtur, quippe quum earum testimonio utatur ¹²⁾. *Origines* epistolas Joannis novit in hom. in l. Jos. 7, tamen a nonnullis 2^dam et 3^{tiam} rejici apud Eus. 6, 25 concedit. Idem Eus. h. e. 3, 25 narrat, quamvis ipse in dem. ev. 3, 5 plures agnoscat. *Ephremus* 2^{da} et 3^{tia} utitur ¹³⁾. *Hieron.* in ep. ad Evagr. t. 2 p. 259 tres epistolas apostoli nomini addicit, in cat. nonnullos paululum dubitare tradere videtur. *Cyrrillus Hieros.* cat. 4, 36 quum septem epistolas catholicas numeret: *Jacobi, Petri, Joannis, Judae tres Joannis* nomini addicat oportet — cf. cat. 6, 19 —;

¹⁾ Cyr. Alex. c. Jul. p. p. 283; Eus. praep. ev. 11. 1 3. 19. — ²⁾ Theoph. c. in Joan. p. 338; Hier. adv. Pelag. 2, 6. — ³⁾ V. Moehleri l. qui inser.: Patrologie p. 336. — ⁴⁾ Cypr. opp. ep. 3. — ⁵⁾ Ib. ep. 73 p. 184. — ⁶⁾ Ib. conc. Carth. p. 360. — ⁷⁾ Ib. p. 362. — ⁸⁾ Ib. p. 363. — ⁹⁾ Inst. d. 4, 3. 18. — ¹⁰⁾ Con. Carth. l. l. p. 364. — ¹¹⁾ Str. 2. c. 15. — ¹²⁾ Eus. h. e. 7, 25. — ¹³⁾ Opp. gracc. 3 p. 52 et 1 p. 76. Hic versu 4 ep. 3^{tiae} utitur.

Gregorius Naz. carm. dogm. 12 tres Joannis epistolas agnoscit, in alio carmine ad Seleucum scripto a nonnullis septem, ab aliis tres epistolas catholicas recipi dicit; at fortasse hoc carmen ab Amphilochio est conditum. *Athanasius*¹⁾ et *Rufinus*²⁾ tres habent Joannis. Secundae auctoritatem praeterea testantur *Tertullianus*³⁾, *Optatus Milev.*⁴⁾, *Alexander Alexandrinus*⁵⁾ *Augustinus*⁶⁾, *Innocentius I*⁷⁾, conc. Laodicense⁸⁾ a. 372 et Carthagiense III⁹⁾ 397 habitum, *Hieronimus*¹⁰⁾. Quod de 2^{da} et 3^{tia} ep. paululum aliquamdiu dubitatum est, inde est repetendum, quod fere nihil in iis, nisi solus vers. 10 ep. 2^{dae} ad morum fideique excitationem videbatur idoneum esse et quod ad privatos homines scriptae sunt ideoque minus in communem usum venerunt. Scribendi genus in tribus epistolis et evangelio fere idem invenies. Cf. 3 ep. 4: *μειζότερον τούτων οὐκ ἔχω χαράν, ἵνα ἀκούω...* c. ev. 15, 13: *μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τις...* 9^η...; — 2 ep. 5: *ἔρωτῶ σε* i. e. oro te c. 1 ep. 5, 16; 2 ep. 1 et 3 ep. 1 c. ev. 17, 17; — 2 ep. 1 c. ev. 8, 32; 2 ep. 4 et 3 ep. 3. 4 c. ev. 12, 35 et 1 ep. 1, 6; 2, 11; — 2 ep. 6, c. 1 ep. 5, 3; — 2 ep. 6 c. 1 ep. 1, 1; — 2 ep. 7 c. 1 ep. 4, 1—3; — 2 ep. 9 c. 1 ep. 2, 23; — 2 ep. 9 c. 1 ep. 4, 16; — 3 ep. 12 c. ev. 19, 35; 21, 24; — 3 ep. 11 c. 1 ep. 3, 9; — 3 ep. 11 c. ev. 6, 46 et 1 ep. 3, 6.

Mandatum caritatis christianae ev. 13, 34 et 1 ep. 2, 8 datum esse, ex 2 ep. 5 discimus, hic enim jam non esse novum dicitur. Qui 3^{tiam} scripsit epistolam, se christianorum coetui jam scripsisse dicit, quod in Joannem apostolum maxime convenire videtur. Quamobrem miror, unde tam certo Seppius¹¹⁾ possit colligere, 2^{dam} et 3^{tiam} Joannis esse presbyteri, episcopi Ephesii; nihil enim agit, si scriptorem more Romanorum et Graecorum in initio epistolarum se nominatim appellasse dicit; nam non nomine, sed cognomine utitur, et equidem non contra dicam, si quis id maxime in Joannem apostolum convenire contendat.

¹⁾ Epist. festal. 39. — ²⁾ V. opp. Cypr. p. 438. — ³⁾ De praescr. 33; adv. Marc. 5, 8. — ⁴⁾ 4, 5 2^{dae} ep. verbis utitur. — ⁵⁾ Ap. Socr. 1, 16 2 J. 10 utitur. — ⁶⁾ De doctr. chr. 2, 8. — ⁷⁾ Ep. 3, 7. — ⁸⁾ Can. 24. — ⁹⁾ Can. 47. — ¹⁰⁾ Ep. 35. — ¹¹⁾ 3 p. 256.